Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

accumulantes. uale ultimo facto benedicentes imperatorem se loco suo reddiderunt. Et uidentibus omnibus atque mirantibus inclinantes iterum capita sua dormierunt et reddiderunt spiritus suos secundum preceptum domini tam a dolore mortis effecti extranei, quam a cogitatione mundana erant alieni. Hec autem uidens imperator erupit in fletu magno, et cecidit super eos plorans atque eiulans cur se deserent. Amplexans autem eos deosculabatur corpora eorum et profundebat lacrimas, et tollens purpuram suam et insigne ornamentum misit super eos, et composuit eleganter. In ipsa autem nocte apparuerunt sancti imperatori et dixerunt ei: Letitia sumpsimus maxima, et extra surreximus non ex auro neque argento. Et unum unde nunc surreximus dimitte nos. Deus enim recepit nos. Et hec audiens imperator continuo precepit lapides pulchros et inauratos adduci, et composuerunt et ornauerunt diligenter locum illum. Et sic demum adorans imperator rediit ad locum suum, et dimisit eos in loco eorum. Et facta est congregatio episcoporum, et fecerunt ibi memoriam maximam, et festiuitatem celebrauerunt sanctis martiribus. Et post hec imperator fecit receptaculum maximum mendicis et pauperibus ciuitatis, et eiecit de diuersis custodiis omnes episcopos et cunctos religiosos resurrectionem confitentes qui pro hac causa in custodia tenebantur. Et in gaudio ipsorum secuti sunt imperatorem in constantinopolim glorificantes et laudantes dominum pro miraculo quod uiderant.

patri[...]
multa c[...]
cum arg[...]
malef[...]

Passio Symphorose cum vii filiis suis.

Sanctus Eusebius historiographus memorat africanum pene omnium de urbe regia atque tota italia martirum gesta conscripsisse. Nam symphorosam dixit apud tyburtinam urbem cum vii filiis suis uno die ab adriano principe hoc ordine interfectam. Cum fabricasset adrianus palacium, et cum dedicare uoluisset ritu illo nefario, et cepisset sacrificiis ydolorum immo demonum qui in ydolis habitant flagitare responsum, responderunt et dixerunt: Symphorosa uidua cum septem filiis suis laniat nos cottidie inuocando deum suum. Ista enim si cum filiis suis sacrificauerit, promittimus nos omnia prestare que petimus. Tunc adrianus imperator iussit eam teneri cum filiis suis, et blandis eos sermonibus hortabatur ut ad sacrificandum ydolis consentirent. Cui beata symphorosa dixit: Vir meus getulius cum fratre suo amantio tribuni tui cum essent ambo pro christi nomine passi diuersa supplicia ne ydolis consentirent ad immolandum, et quasi bone athlete demones tuos moriendo uicerunt. Maluerunt enim decollari quam uinci. Mors enim que pro nomine christi suscipitur inter homines quidem terrenos ignominia paret temporalis, inter angelos uero gaudientes trophea passionum suarum dantes cum eterno rege uita eterna fruuntur in celis. Adrianus imperator dixit ad sanctam symphorosam: Aut sacrifica cum filiis tuis diis omnipotentibus, aut te ipsam cum filiis tuis sacrificari faciam. Beata symphorosa respondit: Et unde mihi tantum boni ut ego merear cum filiis meis offerre hostiam deo? Adrianus imperator dixit: Ego te diis meis sacrificare faciam. Beata symphorosa respondit: Dii tui me in sacrificium accipere non possunt. Sed pro nomine christi dei mei si incensa fuero, illos demones tuos magis exuro. Adrianus imperator dixit: Elige tibi unum ex duobus: aut sacrifica diis meis, aut malo interitu finieris. Beata symphorosa respondit: Tu estimas quod possis animum meum aliquo terrore mutari, cum ego desiderem cum uiro meo gethylio quem pro christi nomine interfecisti requiescere. Tunc adrianus imperator iussit eam duci ad fanum herculis, et ibi primum lapidibus cedi, post hec a capillis suspendi. Sed cum nulla ratione posset reuocari aut aliquo timore, iussit eam ligato ingenti saxo in flumine precipitari. Cuius corpus colligens frater eius eugenius principalis curie tyburtine in suburbano eiusdem ciuitatis sepeliuit.

Alia uero die iussit adrianus imperator simul omnes filios eius vii sibi presentari. Quos cum ad sacrificandum ydolis prouocaret et penitus eos uideret suis minis atque terroribus non consentire, iussit circa herculis templum septem stipites figi, et ibi iussit eos ad trocleas extendi. Primum crescentem in gutture transfigi, secundum iulianum in pectore pungi, tertium nemesium in corde pungi, quartum primitiuum in umbilico uulnerari, perforari gladio, sextum stacteum in latere uulnerari, vii eugenium a summo usque deorsum findi. Altera uero die ueniens adrianus imperator ad fanum herculis iussit corpora eorum simul auferri et proici in foueam altam. Et posuerunt pontifices nomen loci illius septem ad biothanatos. Post vii uero dies in die octaua martirii eorum filiam adriani imperatoris arripuit diabolus, et ueniens ad locum ubi obruti erant sancti clamabat per os eius diabolus dicens: Domini mei vii germani martires christi incenditis me miseram. Ipsum autem patrem eius adrianum imperatorem inuasit timor ut ossa eius carperentur. Et dum uidissent cum